


trum, nec unquam similia sunt, nisi cum iterum tota Diameter est bisecta, *ut prius*: verum semper, quomodocunque etiam & Diameter & Parallelogrammum totum secetur, æqualia sunt.

In Rhomboide $ABCD$ secant sese lineæ GH & EF lateribus Rhomboidis parallelæ in Diametri puncto I : resolviturq; propositum Rhomboides in quatuor alia, quarum duo nempe $GIFC$ & $AHIE$ inæqualia



quidem, toti tamen $ABCD$ similia, dicuntur circa Diametrum esse, quia Diameter per illa transit: reliqua verò $DEIG$ & $HIFB$, quæ reliquorum complementa dicuntur, & ipsa, & cum toto comparata sunt dissimilia, æqualia tamen: quod inde perspicuum est. Diameter AC dividit totum Rhomboides $ABCD$ in duo Triangula ABC & ADC æqualia. Parallelæ verò GH & EF abscindunt ab illis duobus Triangulis alia quatuor Triangula, quorum bina semper iterum æquantur. GCI enim Triangulum æquale est Triangulo CIF : & AHI Triangulo AEI . Cum itaq; ab æqualibus, æqualia demantur, necessariò *ex communi illo principio, à naturâ quasi cuius noto* residua erunt æqualia. Subtrahuntur verò à Triangulis ADC & ABC , ab illo GCI & IEA Triangula, ab hoc CIF & AIH , quorum illud illi, hoc huic æquale est. Quare & quæ remanent, Rhomboide $DEIG$ & $HIFB$ inter se æquabuntur.

Deniquè cum, Parallelogrammo aliquo ita secto, alterutrum Complementorum abesse fingitur, tum reliqua tria Rhomboide sub *Gnomonis* nomine ab Artificibus exprimuntur.

Excluso ergò primo Parallelogrammo $DEIG$, vocabitur
figura